

# Io. Georgii Altmanni de lingua opica Italarum antiquissima eorumque origine exercitatio philologico-critica

Autor(en): **Altmann, J. Georg**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 17

PDF erstellt am: **27.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394663>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

JO. GEORGII ALTMANNI

DE

LINGUA OPICA

*ITALORUM ANTIQUISSIMA EORUMQUE*

ORIGINE

EXERCITATIO

PHILOLOGICO - CRITICA.

---

ARGUMENTUM.

I Demonstratio originum & migrationum antiquarum gentium admodum est difficilis; Talis etiam antiquissima Historia rerum Italicarum, nec certi quid de Italiae Colonis statim post dispersionem Babylonicam illuc delatis dici potest. Quando Saturnus advenerit incertum. II. Antiquissimus Coloniae in Italiam dux Saturnus est, quem superstitiosa posteritas Deum fecit. Saturnus dictus est a Satar, quod significat abscondere, hinc Latius sive absconditus antiquis dictus est, non quia in Latio latuit, sed quia prisca Italiae Coloni homines rudes & illiterati primum ducem, quem ipsi ignorabant, aliter vocare non potuerunt, cum nescientes hincque Saturnum i. e. ignotum dixerunt. III. Secundum hunc veterem Historiam interpretandi modum, Bocharti, Huetii aliorumque corruunt de Saturno Sententiae; Saturnus fuit ex Javanis posteris, non Noachus vel Abrahamus. Coloniam si deduxit in Italiam, Opicam deduxit. Lipsii Sententia de Saturno refutatur. IV. Antiquissimi Italiae coloni rudes admodum fuerunt & illiterati, hique fuerunt Opici, hinc Opici apud auctores pro rusticis ponuntur, vitam talem egerunt homines regnante Saturno. V. Opici lingua usi ad Hebraeorum proxime accedente. Dialectum Hebraeo-

rum Gronovius male ad Romuli demum tempora refert. Romulus ritus & linguam Hebraizantem non primus in Italiam invexit, sed acceptam a Saturno propagavit. Saturnus inter Deos relatus ex consuetudine Romanorum, idem postea evenit honor omnibus antiquis Italiæ incolis. Satyri, Syleni, Fauni nihil aliud fuerunt quam antiquissimi Italiæ coloni. Nymphæ uxores erant priscorum hominum & a procreando sic dictæ. Dryades fuerunt homines in quercetis habitantes ex prisco hominum agrestium more. Politicorum jussu antiqui homines pro Diis habiti, ut Religione homines vagos coërcerent. VI. Ex his aliquo modo jam colligi potest, quod antiquissima Italorum lingua ad Hebræam accesserit. Perit hæc lingua jam sub Evandro, colonias Græcas in Italiam deducente, imo nulla accedente lingua peregrina, prisca lingua temporis lapsu fuisset corrupta. VII. Ubi & quinam Opici fuerint examinatur. Stephani locus restituitur & illustratur; Opici dicti quia more serpentum in speluncis degebant. Perizonius laudatur. Holstenii restitutio examinatur. VIII. Lingua Opica accessit proxime ad dialectum Phœnicum, quod probatur ex Platone. Plauti locus de lingua Opica vel Phœnicia explicatur. Taubmannus corrigitur. Apulejus explicatur. Beroaldus notatur. Siculi Phœnicii etiam lingua usi Opica. Linguam Opicorum ex Hebr. haustam esse exemplis probatur. Ryckius corrigitur, & dissertationi clausula imponitur.

§. I.

**N**ihil obscurum magis esse antiquissimis gentium originibus eruditi omnes perinde profitentur, nihilque absonum magis atque ineptum, quam præposterum quorundam conamen, qui antiquissimas omnium gentium migrationes ad antiquissima usque tempora, se deducere posse profitentur, (\*) *nam cum antiquissimo*

(\*) Perizon in Proem: Orig. Babyl. p. 1.



quissimo tempore pene nihil per literas fuerit traditum, atque idcirco quando historiae deinceps scribi cœperunt, superioris ævi res longe maximam partem vel ex incertis vulgi fabulis, vel summum ex *πάλαια παραδόσεις* narrationibus, sola subnixis, eaque lubrica prorsus & fallaci, hominum memoria, necessario peti debent. Hæc de generali rerum antiquissimarum investigatione dicta, locum etiam maxime inveniunt in antiquissimarum rerum Italicarum examine, in quo si quis ad prima ascendat tempora, ad meras fabulas, imo tenebras deveniet, in quibus, quo se lector scriptorque vertat, nesciet; Optime ergo is sibi consulat, qui non ulterius progredi sibi proponet, quam lucem & veritatem se sequi sibi certo persuadere poterit, alias in fabulis oberrabit dubius, nulla spe inde evadendi relicta; hinc mihi incertissima omnia, quæ de primis Italiæ colonis, post dispersionem Babylonicam illuc delatis traduntur, unde enim Aborigines, aliique in Italiam advenerint, ex nullo mihi satis hactenus historico constat. Incertum etiam, quo Saturnus in Latium tempore advenerit, anque regionem vacuum aut aliis jam habitatam invenerit. A Saturni tamen ævo investigationem sed levem instituemus, licet & ipsum illud seculum *ἀδύλον* & *μυθικόν* esse quilibet videat, non quidem id faciemus ut historicam veritatem inde velimus exsculpere, sed ut potius demonstramus, illius seculi homines ortum suum ipsos nescivisse.

II. Antiquissima apud Poëtas & Historicos memoria Saturni est, qui antiquissimus Romanis cultus est Deus & Rex, quæ res ita nota ut notissima, hunc antiquissimæ Colonæ non nisi suum



ducem, posteri vero Deum, sapientiores hominem esse affirmabant. Deum enim habitum fuisse, tot clamant ædes, templa, aræ, sacella, atque antiqui lapides, quæ hic proferre nostrum non est. Hominem merum eum nobis tradit (\*) Macrobius: & (\*\*) Virgilius.

*Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem.*

Sicque Saturnus pro ductore & antiquissimo Romanorum rege habitus est, qui vero, unde venerit inter Philologos lis est, at ille certissime priscis plane fuit incognitus, hinc nec nobis ex tenebris eruendus, nomen ejus ex Hæbr. סתר quod *latere & abscondere* significat, derivandum est, sic enim priscis dictus, quia antiquissimi Itali, utpote rudes, literarum expertes, sine cultu vitam tolerantibus, dialecto ut plurimum Phœnica utentes, primum suum ducem aliter nominare non potuerunt, illisque ideo Saturnus, hoc est *absconditus, ignotus, planeque incognitus* dictus est. Sic mihi admodum verisimile est, ad Evandri [si cum Vossio (\*\*\*) Evandrum eundem cum Saturno facere velimus] seu proxima ante Romulum & Numitorem usque tempora Italos [non secus ac homines obscurissimi] nullis imbutos literis vixisse; hoc agresti turbæ remanebat, aliquem saltem, quem ipsi ignorabant, eos illuc aut traduxisse, aut ibi generasse, nec ad Græcorum hac in parte delapsi erant ineptias, qui se non aliunde illuc commigraffe,

(\*) Saturnal. L. I. cap. 7.

(\*\*) Æn. L. VIII. 357.

(\*\*\*) De Idololatr. gentili. Lib. I. cap. 10.]

grasse, sed ibi e terra enatos mentiebantur, (\*) hi vero aliquem se parentem habuisse, aut ducem, certi credebant, & quem ob antiquitatem & propriam in suis rebus inscitiam Saturnum dicere voluerunt, sicque illis plane secundum illud poëtæ evenit. (\*\*)

ἄυλον γὰρ ἕδεις οἰδέ τε προυγίγνετο,  
Ἄλλ' ὑπονοῶμεν πάντες, ἢ πιστεύομεν.

*Semet ipsum nemo novit, ut sciat, unde natus sit,  
Sed suspicamus omnes, aut credimus.*

III. His ita consideratis, omnes clarorum Virorum, Bocharti, Huetii, Vossii aliorumque de Saturno Sententiæ ut levissima evanescunt nebula: cum enim jam priscis ideo Saturnus dictus fuerit, quia ignotus erat, certe magis erit obscurus & nobis, cum illis etiam monumentis simus destituti, quibus veteres instructissimi erant. Hoc in omni re certum est, Saturnum in Latio vixisse, sed Noachum aut Abrahamum, ut (\*\*\*) Bochartus & Huetius viri longe celeberrimi vellent, in Latio nunquam fuisse, nemo non persuasissimus est, nec sola fama nominis eorum gloriam sine patrato ibi magno facinore, in aliena terra tantam, ut arbitror, facere potuisset, qualis Saturni est, nisi quædam in loci incolas beneficia collata essent. Sed antiqua illa numina eruditis multifariam eru-

D 4

ditio.

---

(\*) Ezech. Spanh. ad Aristophan. nub. 980. adde Schol. vet.

(\*\*) Menandri reliquiæ p. m. 242.

(\*\*\*) Bochartus in Phaleg. cap. 1. Huet, Demonstr. Evang. propos. IV. cap. III.



ditionem demonstrandi largam causam suppeditant, suntque ut nasus cereus, qui pro fingentis arbitrio huc & illuc verti potest. Hoc solum de Saturno affirmaverim, fuisse eum aliquem ex Javanis posteris, nobis incognitum, qui cum Colonia Opica prope Latium vel in Latio sedem invenit, (\*) ejusque nomen recte ex lingua Hebræa deducitur, & vanum est quidquid vel veteres vel recentiores de hoc etymo somniarunt, quos inter est Lipsius, (\*\*\*) qui nomen ejus a *Satu* deducit, fragili auctoritate nixus; alii melius rem non explicant, qui Saturnum velut *saturantem patrem* (\*\*\*) volunt vocatum fuisse antiquitus; Sed hæc omnia facilius dicuntur, quam probantur, manetque mea quam de ejus nomine concepi sententia, quæ omnium tutissima mihi hactenus visa est, & ad reliqua quæ de Saturno mythologi habent, recte explicanda viam aperit, ut prolixè id edocere, si hoc agendum foret, facillime possemus, antequam vero ad interiora linguæ Opicæ accedamus, paucissimis adhuc antiquissimas res Italiæ examinabimus, quæ si detectæ erunt, ad sequentia viam facient.

IV. Cum Colonia illa in Latio vel alia Italiæ parte consedisset, ad nullam homines illi vel morum vel linguæ suæ attendebant culturam, sed vitam more agresti & a pecudum consuetudine non multum diversam, in montibus potissimum tolerabant, hinc Opici antiqui pro incultis & barbaris

---

(\*) Ryckius de antiq. Ital. col. cap. 1.

(\*\*) Saturnal. l. 1. p. 7.

(\*\*\*) Dionys. Halic. antiq. Lib. 1.

baris hominibus habiti sunt, & apud auctores Opici pro rusticis sumuntur, hincque ille conquiretur, dicendo *nos quoque dicitant barbaros, & spurcius nos quam alios Opicos appellatione fœdant.* (\*) Latius id alii explicant, qui jam adducendi non sunt: (\*\*) Vita ergo Opica pro tali accipitur, quæ sub regno Saturni fuisse dicitur, ubi homines sine imperio, sine legum severiore angustia vitam tolerasse dicuntur, ut testes sunt Poëtæ. (\*\*\*)

*Ista vetus pietas, ævo moritura futuro  
Rustica, Saturno regna tenente fuit.*

Similiter plane etiam alius poëta. (\*\*\*\*)

*Credo pudicitiam Saturno Rege moratam  
In terris, visamque diu, cum frigida parvas  
Præberet spelunca domos; ignemque laremque  
Et pecus & dominos communi clauderet umbra.*

V. Satis ergo ex his patet, Opicos illos fuisse, qui sub prisco Saturni regno vixerunt, quique non nisi lenissimo suberant imperio, quale esse solet hominum, nulla ambitiosa severitate in societatem collectorum. Viderat jam quædam morum & linguæ Hebræorum in Latio vestigia Clarissimus Jacobus Gronovius, (\*\*\*\*\*) sed quæ vir doctus Romulo tribuit, & cujus natales in Latio facillime inveniuntur, hæc certe omnia ad antiquiora tem-

D 5

pora

(\*) A. Gellius Lib. XI. c. 16. & lib. XIII. c. 9. Plin, lib. XXIX. cap. 1.

(\*\*) Turneb. lib. X. adversa.

(\*\*\*) Ovid. Epist. Heroid. IV. 131.

(\*\*\*\*) Juvenal. Sat. VI. 1. &c.

(\*\*\*\*\*) In Dissert. de Orig. Romuli.



pora referenda sunt, & quæ Romulus hac in parte egit, eum ex avitis traditionibus hausisse credendum est, sacra enim Romuli, quibusdam exceptis, ex antiquissimo cultu, qui a primo ductore introductus fuerat, remanserant; Romulum vero Gronovius Hebraizantem facit, quia ille, siquidem Romanorum Historiæ epitomatoribus credendum est, per solam traditionem oralem tradita præcepta & dogmata æque politica, quam religiosa iterum excoluit, novisque ad rem suam necessariis auxit. Cur vero tam diversa facie Saturnus compareat mirum non est, factum enim illud ex consueto Romanorum more, qui in antiquitate laudabiliter defunctos illico in Deorum censum retulerunt, hinc Saturnus mox Deus, mox vero homo audit, & similia hac in re fata habuit cum Quirino & plurimis Romanis imperatoribus, nec hac in parte Romana ineptior erat natio, hinc a Satyrico argute traducta. *Utique regio nostra tam præsentibus plena est numinibus, ut facilius possis Deum quam hominem invenire, (\*)* quem locum perpetuus ille elegantioris literaturæ Stator & vindex P. Burmannus ex alio sic illustrat, & qui huc apprime facit: *Olim magna res erat Deum fieri, jam fama numinum fecit, etiam pessimum quemque illum affectare. (\*\*)* Consimiliter etiam ipse hac de re loquitur Cicero. *Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in Cælum fama ac voluntate tollerent: hinc Hercules, hinc Castor & Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber etiam. (\*\*\*)* Loca plurima qui

---

(\*) Petron, c. XVII.

(\*\*) Senec, Apocolocynt.

(\*\*\*) De nat. Deor. Lib. 2.

qui legere volet citata inveniet apud Polyhistorum illum Hamburgensem & alios, qui hac in re amplii sunt; (\*) Sic etiam elegantissimus Horatius viventi adhuc Augusto divinos & æternos præfagit honores dicens. (\*\*)

- - - *præfens divus habebitur Augustus.*

Simile quid evenisse Saturno, & cum eo omnibus antiquissimis Italiæ colonis, credendum, & inde facile explicari potest quidquid veteres de Faunis, Satyris Nymphisque tradiderunt, fuerunt autem ex hac mea hypothese Fauni, Silvani & Nymphæ nihil aliud quam antiquissimi Italiæ Coloni, qui ruricolæ fuerunt, & quos superstitiosa posteritas post obitum in Deorum censum retulit; mihi que admodum verisimile est, Nymphas ex Phœnicum dialecto dictas esse Romanis, quasi נובים ex נוכ quod *generare & producere* significat, itaque ut Nymphæ nihil aliud sint, quam antiquorum Italiæ Civium uxores, quæ exinde Nymphæ, quasi uxores vel generantes dictæ sunt, quemadmodum enim Hebræi mulieres suas נשים, sic hi נובים dicere voluerunt, hinc peregrinum esse non debet, si in priscis historicis hos vel illos ex hac vel illa Nympha procreatos esse invenimus, quod apud antiquos Romanos nihil aliud significabat, quam hunc vel illum heroem tempore antiquissimo natum fuisse, nec inde concludendum est, priscos heroes quosdam ex Deorum congressu na-

tos,

---

(\*) Fabricii Bibliograph. Antiq. c. VIII, §. 24. Claud. Nicas. de num. Panth. Adr.

(\*\*) Carm. Lib. III. 5. & lib. I, 12.



tos, hoc modo affirmare voluisse. Si ad viros accedamus, eadem in antiquis fabulis invenimus, mariti enim Satyri atque Sileni erant, & qui pilosi in antiquitate audiebant, ob vitam quam ducebant agrestem, quique in montibus & silvis ceu belluæ oberrabant, ut de iis poëta dicit. (\*)

*Hæc nemora indigenæ, Fauni Nymphæque tenebant.*

Hinc etiam nata de Dryadibus fabula, quia in quercetis potissimum habitabant, ut etiam Abrahamus ad quercetum habitasse dicitur, (\*\*) quod ex Patrum testimonio ævo Constantini adhuc extitisse fertur, quia Deus sub illa quercu Abrahamo apparuisset, Gen. XVIII. 4. essetque, si fabulis quis frenum laxare vellet, occasio unde gentiliū hac in re superstitionem derivare possemus, quod qui facere volet, per me licebit, hoc enim nec affirmare vel negare mihi in animo est, sed dubium videri possit, an omnes gentiles quercetorum cultum ex hac occasione hauserint; Mihi vero Dryades illæ ex hac, quam dixi, ratione exortæ videntur apud gentiles, quia in quercetis olim eas habitavisse certum est; cum his Deabus Sileni & Satyri concumbebant, hoc est cum pastoribus, hominibus montanis, & ex hoc congressu filios procreabant, ut legimus apud auctores passim, hinc aliquis: (\*\*\*) Νύμφης δὲ παῖς ὁ Σιληνὸς ἕτος, Θεῶν μὲν ἀφανέστερος τὴν φύσιν, ἀνδρώπων δὲ κρείττων καὶ θανάτου ἦν. *Ex Nympha Silenus iste*

(\*) Virg. Æn. L. VIII. 314.

(\*\*) Gen. XIII. 18. Euseb. Lib. III. 51. Sozom. Lib. II. 4.

(\*\*\*) Ælian. lib. III. cap. 18.

iste puer natus est, in natura sua quidem Deo minor est, sed homine etiam major, & praeinde mortalis est. Hinc jam tempore Pythagoræ Nymphæ fœminæ dictæ sunt, sic enim ejus vitæ scriptor: (\*) Πυθαγόρας ἐκάλεσε τὴν μὲν ἀγαμὸν Κόριν, τὴν δὲ πρὸς ἄνδρα δεδεμένην Νύμφην. Pythagoras innuptam vocavit Coren, id est Proserpinam, nuptam Viro Nympham. Postquam autem hominum turba aucta esset, ex hac antiquissima hominum consuetudine a Politioribus, qui vagas & agrestes hominum catervas legibus & cultu religioso coercendas duxerunt, numina ficta atque exsculpta sunt, hinc tandem primi homines omnes in Deorum numerum sunt accepti, quia natura ad vetusta omnia exaggeranda homines sunt admodum proclives, sicque plane res evenit secundum illud Poëtæ: (\*\*)

*Omnia post obitum fingit majora vetustas,  
Majus ab exequiis nomen in ora venit.*

Factum tum id etiam ex ingenti hominum arrogantia, qui defunctos parentes & propinquos divinis elogiis ornarunt, usque dum ex rudi plebecula Divi facti sunt.

VI. Ex his jam facile quilibet videbit, quare in his, quæ antiquissimas res Italiæ spectant, fuerim prolixior, exinde enim reliquiæ dialecti Hebraizantis inferendæ erant, ut inde tandem ad linguam Opicam fieret transitus commodior; videmus ideo antiquissimas Deorum denominationes,  
[ de

(\*) Jamblich. de vita Pythag. Cap. XI. p. 42.

(\*\*) Propert. lib. III. el. 1.



[de quibus plura Bochartus & alii, quos repetere nolo] addiderunt, fuisse ex Phœnicum dialecto explicandas, quæ eadem est in plurimis, quæ antiquissimorum fuit Opicorum, ut deinceps magis videbimus; sed perierunt sub Evandro, qui peregrinas in Italiam Colonias adduxit, maxima linguæ primævæ vestigia, sed quæ non tamen ita deleta sunt, ut non & quædam hodie apud Scriptores passim inveniri possint. Notandum præterea, linguas vivas maximis subesse mutationibus, hinc paulatim Hebraizans dialectus, alia assumpta, periit, sicque plane evenit ut Philologus Germanus in ortu Babelis observat. (\*) *Quotidie inquit experimur, dum Scripta ejusdem gentis antiquiora aut recentiora conferimus, quanta sit differentia, aliquot seculorum, in eadem lingua orta; Quæ tanta sæpe est, ut antiqua ejusdem gentis dialectus vix intelligi possit, adeo obsoleta facta & extra usum posita, quæ & nostra Germanicæ lingua, vetus & recentior satis probant.* Certissimus sum, quod si ex simili loco homines in diversas regiones, diverso ubi cælo, diversisque uterentur cibis, deportarentur, quod intra dimidium seculum tanta inter illos oritura esset linguæ differentia, ut pro eadem haberi amplius non posset, alia enim labia, aliud guttur, alias propensiones, format temperies Cœli Orientis, alias Occidentis, hinc mirum non est, si prisca Italiæ Coloni a prima Dialecto, quam in Italiam advenientes habuerunt, sine aliarum coloniarum accessione immutarunt, ut jam Evandri tempore vix antiqua in plurimis videretur, remanserunt autem reliquæ  
 prisca-

---

(\*) Vander Hart in Philologiæ facula p. 59.

priscarum vocum & appellationum quæ nobis certam fidem faciunt, antiquissimam linguam Italicam plurimis permixtam fuisse vocabulis Hebraicis, ut id probavit *Just. Fontaninus* de antiquit. Hortæ. p. 121. & *Camp. Vitringa*. Observat. Tom. I. p. 91.

VII. Propius nunc ad Linguam Opicam accedendum, quod ut fiat, primo quinam Opici fuerint examinabimus. De Opicis vero hæc habet antiquus Geographus. (\*) Ὑπὲρ δὲ τῶν τῶν ἡϊόνων Καμπανία πᾶσα ἰδρύται, πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἀπάντων, περίκεινται δ' αὐτῷ γεωλοφίαι τὲ εὐκαρποὶ, καὶ ὄρη τὰ τε τῶν Σαννιτῶν, καὶ τῶν Ὀσκιων. Ἀντίοχος μὲν ἐν φησὶ τὴν χώραν ταύτην Ὀπικὴς οἰκῆσαι, τέτρας δὲ καὶ Ἀυσονας καλεῖσθαι. *Super hæc littora Campania omnis sita est, planicies felicissima omnium, circa eas jacent cum tumuli terræ fertiles, tum Samnitum Oscorumque montes; Antiochus dicit, hanc regionem ab Opicis habitatam fuisse, hos & Ausones vocari. Et quoties Pausanias de Cumis loquitur, (\*\*)* addit ἐν Ὀπικῆ, quia in Campania sita erat Urbs hæc Cumæa; sequenti vero tempore Opicis nomen mutatum est, dictique sunt Osci, quod jam observavit Cluverius dicens, (\*\*\*) *de cætero satis patet, unam eandemque gentem fuisse, quæ variis appellata est nominibus, iidem enim Opici, quorum hoc vocabulum postmodum a Romanis correptum fuit in duas Syllabas, Obsci, Opsci & tandem Osci; aliter quidem sentit clariss.*

(\*) Strabo. Georg. lib. V. p. 370. edit Almenlov.

(\*\*) Achaic. cap. 22, & Arcad. cap. 24.

(\*\*\*) Ital. antiq. lib. III. cap. 9.



clariff. Stephani commentator, (\*) sed licet nulum de hac nominum commixtione extet testimonium, adsunt tamen multa quæ postea videbimus, & quæ Cluverii sententiam satis confirmant, probat id etiam jam allatum Strabonis testimonium, qui Opicos & Oscos eandem terram habitasse affirmat. Plura de Opicis nolo afferre, cum ea jam congesserit Cluverius, qui hæc de re legi potest. (\*\*\*) Unde vero Opici dicti sint, incertum esse videtur: si Stephano fides, ex Serpentibus nomen habent. (\*\*\*) Ὀπικοὶ ἔθνος Ἰταλίας· Εὐδοξὸς ἔκτῳ γῆς περιόδῳ γλώσσας συνέμιξεν. Ὅι δὲ ὅτι Ὀφικοὶ, ἀπὸ τῶν ὄφειων. *Opici sunt gens Italiae, Eudoxus sexta terræ periodo linguas commiscuere, alii sic vocatos existimant a serpentibus.* In his iterum primæ antiquitatis occurrunt vestigia, licet enim clariff. de Pinedo (\*\*\*\*) non videat, unde Opici nomen acceperint, mihi tamen hujus rationem reddere videtur Perizonius, (\*\*\*\*) dicens, *In antiquis fabulis tot dracones memorantur, & gigantes e terra nati, ut vel ex una Cadmi historii notum est, qui nihil aliud fuerunt, quam homines ex speluncis subito prodeuntes, quasi dracones ex suis cavernis; Quin ipse ille Cadmus tandem in serpentem dicitur conversus, eodem haud dubie sensu, quia scil. se in speluncam tunc abdidit: In talibus speluncis habitarunt Lothus, cum filiabus post Sodomam deletam, Gen. XIX. 30. & Cacus in Latio tempore Evandri, Liv. 1. 7. Imo integræ gentes, Trogloditæ in Africa,*  
dicti

(\*) De Pinedo ad Stephan. pag. 518.

(\*\*) Ital. Antiq. pag. 1056. &c.

(\*\*\*) De Urbib. pag. 518.

(\*\*\*\*) In notis ad Loc. Steph. Byz. modo cit.

(\*\*\*\*\*) Orig. Babil. Cap. 3. pag. 35.

dicti ita, quod sub terram eant, & cavernas subeant, ut ait Eustatius, (\*) addens, similes Troglodytas adhuc superesse & in Europa, juxta Tribellos, imo & apud Caucasum in Asia, versus septentrionem. Adde illis jam Hevæos in Palæstina, olim a serpentibus eadem ratione sic dictos. Sunt & adhuc hodie Rasciæ incolæ, qui in Sclavoniæ finibus habitant, qui in speluncis commorantur. Ex his vero Viri Eruditissimi verbis facile jam videbimus undenam Antiquissimi illi Italiæ Coloni Opici dicti sint, simulque luculentum inde petimus testimonium, Opicos illos fuisse, qui Italiæ incolarum primi & antiquissimi fuerunt, nam hæc vita in speluncis acta, non nisi tempore Saturni observatur, ut etiam videmus ex loco superius ex Satyrico (\*\*\*) allato, aliam causam cur Opici dicti sint ego sane excogitare non possim, nisi forsan dicere velimus, illos hoc nomen accepisse ex cultu serpentum, qui priscis & Judæis & gentilibus communis erat: Cultus serpentum vestigia apud Judæos habemus in ipsis sacris Literis, ne autem dicam de cultu serpentum apud Gentiles usitatissimo, (\*\*\*) hinc serpens Epidaurius aliique maximo in honore habiti. Interim videri potest hac de re Amplissimi CUPERI Sententia, (\*\*\*\*) qui ut solet, eruditissime hac de re egit, cui jungi debet Vossius (\*\*\*\*\*). Sed plura adhuc in illo Stephani loco examinanda videntur, & maxime meditatione dignum quid per linguarum con-

Tom. V.

E

fusio-

- (\*) Ad Dion Perieg. v. 18.
- (\*\*) Juvenal, Sat. VI, l. &c.
- (\*\*\*) 2. Reg. XVIII. 4.
- (\*\*\*\*) In Harpocrat. p. 59. &c.
- (\*\*\*\*\*) Idol, Gentil. Lib. IX, cap. 10.



fusionem intelligat; quod a nemine quod sciam  
hactenus expositum satis fuit: Mihi confusio illa  
sic explicanda est; quia Opici Italiæ antiquissimi  
erant, hincque dialecto Hebraizante utebantur,  
eorum dialectus periit post Evandri aliorumque in  
Italiam adventum, hincque primi illi & antiqui  
cum reliquis novissime adventantibus linguas suas  
miscuerunt, & hæc illa est linguarum in Latio  
commixtio de qua Stephanus, cui addi debet lo-  
cus Dionysii Halic. qui tradit classem profugos ve-  
hentem in littore Opico appulisse, cum his er-  
go Græcis Opici linguam suam mutarunt. No-  
men vero Opicos ex ipsis ab Evandro illatis Græ-  
cis accepisse certum est, quia Nomen Græcum  
hisce monticolis & per terræ cavernas dispersis  
hominibus impositum est, secundum id, quod  
supra ex Perizonio allegavimus; optarem interim  
hunc Stephani locum integrum & sanum videre,  
nam in allato loco lacunam esse vidit & agnovit  
Holstenius, (\*) & putat sic esse legendum, *illi  
autem linguas confundebant*, mihi autem plura de-  
siderari videntur, sensusque nihilominus man-  
cus atque hiulcus est, ego autem sic legendum  
locum, & reponendum censeo. *Opici vero cum re-  
liquis Italiæ incolis linguam suam confundebant*, melio-  
rem qui dabit emendationem, me magno benefi-  
cio allegabit, cum meam nec perfectam, nec ex  
MS. firmatam vendere nolim.

VIII. Nunc tandem omnibus, quæ ad pro-  
mulsidem linguæ indagandæ faciebant considera-  
tis,

---

(\*) In Commentar. St. Byz. pag. 237.

tis, res ut spero fiet planissima: ad demonstrationem Linguam Opicam fuisse Dialectum Phœnicum, palmarium statim considerabimus ex Platone. (\*) *Quantum ex infaustis præfagiis licet conjicere, universa Sicilia in Græcæ linguæ oblivionem propediem lapsura est, ad Phœnicum vel Opicorum potestatem & Dominationem translata.* Ex his satis patet, linguam Opicam cum Phœnicia maximam affinitatem habuisse, cum Plato eas sibi invicem similes dixerit, iisque græcam directe opponat, lingua ergo Opicæ & Phœnicia in Sicilia maxime florebant, quod rectissime ex allegato Platonis testimonio inferitur, & hoc illis dicebatur, ævo scilicet posteriori, *Sicilicissare*, hinc Comicus: (\*\*)

*Atque adeo hoc argumentum græcissat, tamen Non atticissat, verum Sicilicissat.*

Quem locum perperam intellexit Taubmannus in suo Commentario ad hunc locum.

Quid vero aliud est Sicilicissare, quam dialectum Siculorum habere, qui Latina, Græca, & Phœnicia oratione utebantur, sed Latina corrupta, quia vocibus mixta erat Phœnicibus, & exinde etiam trilingues dicuntur. (\*\*\*) *Siculi trilingues* inquit Isis, *me Stygiam Proserpinam vocant.* Tres illæ Siculorum Linguæ non sunt, ut perperam intellexit Beroaldus, Græca, Latina & Sicula; sed Græca, Punica & Sicula, nam Sicula Latina quidem erat,

E 2

sed

(\*) Plato Epist. VII. ad Dionys, propinquos.

(\*\*) Plaut. Menæch. prol. II.

(\*\*\*) Apul. as, aur. Lib. XI.



sed corruptissima, hinc Hieronymus. (\*) *Certe etiam si præclarus Orator reprehendendum nescio quem putat, quod literas Græcas non Athenis, sed Lilybæi, Latinas non Romæ, sed in Sicilia didicerat. Quanta vero Phœnicum copia in Sicilia extiterit, partim ex hoc testimonio videri potest: (\*\*)* Φοίνικες περὶ πᾶσαι μὲν τὴν Σικελίαν ἀκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσῃ ἀπολαβόντες, καὶ τὰ ἐπιμείμενα νησίδια, ἐμπορίας ἐνεκεν τῆς πρὸς τὰς Σικελίας. *Habitant vero Phœnices circum totam Siciliam, occupatis omnibus extremis ad mare partibus, negotiandi cum Siculis causa. Mox addit in sequentibus, multos sedibus in Sicilia positis in medio Siciliæ habitare, sed quanta Phœnicum in Sicilia olim fuerit multitudo, abunde demonstravit Vir summus Bochartus, (\*\*\*)* hinc ea hic demonstrare velle, labor est inutilis, cum esset actum agere. Sicula vero antiqua & Opica lingua una eademque fuit, ut id sole clarius patet ex Stephani Byzantini loco: *Gela urbs Siciliæ, sic vero vocatur a fluvio Gela, fluvius vero sic vocatus fuit, quod multum gelu gignit, hoc enim Opicorum & Sicularum lingua Gelan dicunt. Ex his iterum patet, Siculam antiquam, [recentior enim, cum Roma florescere cœpisset Latinior erat] & Opicam eandem fuisse, sed ut jam dictum satis ostendit Bochartus Siculos maxime Phœnicum dialecto usos, licet postea latina magis in usu fuerit, quin & ipsa vox Gelu ex hebr. deduci potest & debet, nam גֶּלֵּי est gelu, glacies, & quis non apertissima linguæ hebrææ in hac voce videt vestigia; de eadem hac lingua in-*  
telli.

(\*) Epist. Pauli & Eustach. ad Marcell.

(\*\*) Thucyd. Lib. VI. cap. 2. p. 379. edit. Duker,

(\*\*\*) De Phœnic. Colon. cap. 27. 28. 29.

telligendus locus a variis interpretibus hactenus tentatus, sed nunquam explicatus. (\*) *Q. Ennius tria corda se habere dicebat, quod loqui Græce & Osce & Latine sciret.* Osce loqui nihil aliud est quam Opice, hoc est fere Punice, hincque etiam colligo Oscos & Opicos eosdem fuisse, ut jam supra dictum, loquebatur ergo Ennius tres illas in Sicilia usitatas linguas, ut ex Apulejo probavimus; Nec ego linguam Opicam semilatinam facio, licet posteriori tempore fuerit neglecta & plane abolita, sed paucissimis commixtam & Græcis & Latinis vocibus, cæteroquin Hebraizantem, ut ex quibusdam vocibus demonstravimus, nam qui *Osce* vel *Opice* loquebantur, nil minus quam Latine loquebantur, ut *Festus* dicit. *Qui Obsce & Volsce fabulantur, nam Latina nesciunt.* Satis ergo, ut opinor, demonstratum est linguam Opicam ad Hebræam, ad Phœniciam proxime accessisse, quod contra *Rickium* observare volui, qui eam cum Phœnicum nil commune habuisse asserit; Lubens quidem largum vocum Opicarum dedissem catalogum, ut certior exinde mea defenderetur sententia, sed cum apud veteres Scriptores pauca occurrant, ea bono lectori dedi, quæ ad meam Sententiam aliquo modo confirmandam videbantur. Manet ergo hæc mea asseritio, Opicam linguam ex Phœnicum & Hebræorum lingua maxime esse conflata, licet forsan voces aliarum linguarum sibi immixtas habuerit. Plura nunc de hac dialecto exquirere nec licet, nec lubet, paucas vero has pagellas de themate rarissimo, quod solus *Ryckius* paucissimis lineis tractavit, [Opicam

(\*) A. Gellius lib. XVII. 17.



cam dialectum, quod ridiculum tanti Viri asser-  
tum ad Scytharum referendo] speciminis loco  
præmisi, cum in omnibus longior facile esse po-  
tuisssem. Quilibet æquus lector etiam facile vide-  
bit, antiquissimas Romanorum fabulas, quas car-  
ptim tantum lustravimus, majorem investigatio-  
nem requirere, prolixiorum nunc dedissem, si ju-  
veniles humeri hoc onus nunc volvendum non  
detrectassent, dabo autem si sereniori vultu bre-  
viorum accipies. (\*) Interim benigne lector! in  
hoc conquiescas Catone.

---

(\*) Primum hoc fuit Specimen Criticum ab auctore  
juvenili ætate editum, quod primum lucem vidit Bernæ  
anno 1721.

T A N T U M.

